

in seinen Dienst verhandeln. Komme es dazu, solle niemand Opitz verdächtigen. – Venator möge sich anstrengen und wieder den Musen opfern. Caspars v. Barth *Deutscher Phoenix* verdiene nicht den wohlriechenden Scheiterhaufen dieses Wundervogels. Dreimal habe Opitz nach seiner Rückkehr aus Siebenbürgen an Barth geschrieben. Da Barth schweige, habe er begonnen, ihn als Dichter zu verachten. – Venator möge Julius Wilhelm Zingref grüßen, dem Opitz demnächst durch den nach Straßburg zurückkehrenden ‚Flickschneider‘ Gradius einen Brief schicken werde. In aller Freundschaft befiehlt Opitz Venator, sein Schreiben an Ianus Gruterus zu übermitteln. Venator müsse ihm wirklich ein Epigramm auf den im vorigen Sommer verstorbenen Abraham v. Bibran machen, da Bibran Venator nach Ausweis der Opitz gesandten Briefe sehr geliebt habe. Venator würde doch auch für den Fall seines eigenen Todes einen solchen Dienst schätzen.

Q Kgl. Bibliothek København: Ny kgl. S. 617, 4°, 68–69. Weitere Überlieferungen: ebd. Gl. kgl. S. 2133, 4° Nr. 85 und ebd. Gl. kgl. S. 2129 h, 4°. Abgedruckt nach Ny kgl. S. 617, 4° in *Reifferscheid*, 243f. (Nr. 193), vgl. 798 (Anm.).

A Cl. viro *Domino* Balthasari Venatori Poetæ et Philologo, fratri coniunctissimo, Argentoratum.<sup>a</sup>

S. P. D.

Téne Argentorati fuisse, mi frater, Venator<sup>1</sup> clarissime, tam obstinato erga me silentio? Vix hoc Hippocrene eluet omnibus undis. Quamvis enim decubueris (quod animo tam ægro audivi, quam tu ægro corpore expertus es), manibus tamen tuis nihil cum chiragra commercii fuisse spero, utut mecum ames. – Veteris pocula Massici,<sup>2</sup> et Natos in usum lætitiæ Scyphos.<sup>3</sup>

De itinere in Gallias tuo Scultetus<sup>4</sup> mihi dixerat; ne me putes somniasse: idemque ut crederem, persuadebat tua taciturnitas. Nunc rectè tibi est, ut spero, apud communem utriusque nostrum fautorem Ampliss. Lingelshemium;<sup>5</sup> qui literas nostras tantoperè amat et æstimat. Ego quid agam, aut ubi vivam, scribere tibi non possum.

Ita mihi libertas hæc mea duret, ut per integrum annum et amplius integro mense, uno in loco constanter non fui. Nunc me Vratislavia, nunc Lignicium et aula, nunc nobiles amici ita tenent,<sup>6</sup> ut verè possim affirmare, me peregrinari domi. Superiori etiam æstate Albim, tanquam Rubiconem, transire ausus fui, ad Principes Anhaltinos; à quibus satis benignè habitus sum.<sup>7</sup> Non nunquam<sup>b</sup> ad parentes conferre me soleo, ubi depositis nugis aliquid commentor, unde ostendam, nondum me elatum esse. Huius rei specimen Tristia Ieremiæ<sup>8</sup> sunt, quæ nunc mitto. Est et sub incude Argenis,<sup>9</sup> nostro sermone, non tam iudicio meo quam voluntate meorum, reddita; sed ad umbilicum non adhuc deducta. Itaque ante autumnum non prostabit. Dacia<sup>10</sup> lentum opus est, et eo otio indiget, cui me nondum possum involvere. Petunt me duo nobiles adolescentes,<sup>11</sup> ut Ducem me illis præbeam ad vos et ulteriora loca; sed sunt quædam, quæ mihi necessitatem de hæc re accuratius cogitandi imponunt. Intra quatrimum etiam Illustrissimus Baro de Dhona,<sup>12</sup> Catholicis addictus, sed Vir rectissimi ingenii, Lignicium veniet, quò me simul vocavit, acturus mecum, an suo convictu uti velim. Et hîc hæreo, cum nulli ansam præbere debeam, malè de me